

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 31. Amor sui Babylonem aedificavit

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

cere inimicis & his qui oderunt nos benefacere: satius esse divitias spernere quam habere: glorioius esse propter Deum subesse, quam dominari: laudabilius vincere se ipsum & coercere appetitum, quam munitissimas armes expugnare? Hæc sane dura videntur & incredibilia diligent se ipsum, quia immoderato sui amore quasi vinculis, & catenis inextricabilibus terræ affixus solis terrenis commodis, ac delectationibus alligatur. Filii autem Dei spiritu Dei aguntur, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant. Quod si quædam opera carnis faciunt, ex quibus expediri in hac mortalitate non possunt, ad ea se duci non sinunt ex proprio sui amore, sed ex principio supernaturali, prava desideria continuâ carnis maceratione coercentes. Aiunt sui amatores discretionem in his, quæ ad corpus spectant, necessariam esse: sed illa optanda & adhibenda, quæ de cœlo est; nam prudentia carnis mors est.

§. XXXI. *Amor sui Babylonem edificavit.*

**C**onstituit Deus hominem in paradyso, sed ab Adamo, in quo omnes peccavimus, à paradyso in hunc mundum, à Ierosolymis in Babylonem, à patria in exilium, à libertate in servitutem, ab integritate in corruptionem, à vita in mortem translati sumus. Sic collapsi à veritate in vanitatem, non solum similes evasimus vanitati, sed ut ait Psalmus, *Vniversa vanitas omnis homo vivens.* Psal. 36. 6. Vanus est enim secundum corpus, quod in corruptionem & mortem definit; vanus secundum animam, quæ serviens iniquitati se ream mortis æternæ facit: vanus quoad exteriora quæ pereunt & in morte relinquenda sunt. Hanc tamen vanitatem ardenti amore prosequimur, hæc mendacia sollicitè quærimus, quæ infinitis erroribus nos implicant & ex civibus supernæ Jerusalem cives efficiunt diabolicæ Babylonis. Has duas civitates duo amores fecerunt: nam civitatem Dei Jerusalem fecit amor Dei usque ad contemptum sui; Sathanæ vetò civitatem, quæ

Babylon dicitur, fecit amor sui usque ad contemptum Dei. Iter ad hanc spatiolum est & breve, iter ad illam arctum, arduum & longum: facilius enim est in terram labi & in infernum descendere, quam ad cœlum elevari. Se ipsum igitur quisque discutiat & videat quid amet, nam si Deum amat & se ipsum spernit, cœlestis Jerusalem civis est: si autem se impensiùs amat, ad Babylonem spectat, è qua nobis exeundum esse clamat Scriptura dicens, *Egredimini de Babylone. Išai. 48. 20.* & alio loco, *Recedite de medio Babylonis. Ierem. 50. 8.* Psalmista quoque ait, *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram. Psal. 136. 8.* Tunc autem eximus de Babylonie, cum à confusione vitiorum recedimus: tunc parvulos Babylonis, malas scilicet cupiditates, ad petram allidimus, cum Christi amore, noxia desideria excindimus & superamus. Amor sui mors animæ est, amor Dei vita: non ergo se amat, qui se amando vitam perdit.

§. XXXII. *Omnes seipso querunt etiam in rebus sanctis.*

**H**oc certè mirabile est, quod cum tanta diversitas hominum, humanarumque propensionum sit; omnes tamen unanimiter in hoc conveniunt, quod nemo sibi vilis est, nemo alteri cedere aut subjici vult, nec quisquam est adeò abjectæ conditionis, qui non putet se aliquid esse, & apud alios in pretio haberi non desideret. Omnes cupiunt super alios eminere, omnes ignoscunt sibi, aliis nunquam: opiniones suas pertinaciter omnes sustinent, res suas admirantur; proprias tantum adinventiones, & placita probant, aliena rejiciunt: ignorantiam suam instar sapientiae ostentant, & cum nihil sciunt, nihil se ignorare arbitrantur. Virtus, quæ habent, tegunt, & justitiam simulant quam non habent, frustra reclamante conscientiâ. Sed multò mirabilius est, quod ipsi etiam viri probi, qui nihil aliud querere videntur quam divinum beneplacitum, ejusque gloriam & honorem; occulto tamen, & aliquando vix perceptibili corruptæ naturæ instinctu in seipso diffluunt, operantes